

De intestinorum tractus ventriculique ulceribus : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Ernest Leop. Arweiler.

Contributors

Arweiler, Ernest Leopold.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Brüschkianis, 1831.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ntdz72nd>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
INTESTINORUM
TRACTUS VENTRICULI-
QUE ULCERIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA
LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILIELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE M. XIX. FEBRUARII MDCCCXXI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
ERNEST. LEOP. ARWEILER,
SUSATO - GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
KOTTENKAMP, PHILOS. DR.
DOINET, MED. ET CHIR. DR.
ROSE, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHKIANIS.

DE
INTESTINORUM
TRACTUS VENTRICULI
QUE ULCERIBUS.

DISSECTIO
ANATOMICA MEDICA
CONSENSU ET AUCTORITATE
CHALOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA
LITERARIUM UNIVERSITATE
FRIEDRICA GUILLIELMA
MEDICINA ET CHIRURGIA PROFESSORIS
DIE M. XIX. FEBRUarii MDCCXXI

ALMA
PUBLICE DEFENSIT
AUCTOR
ERNEST. LEOP. AMERLIN,

OPONENTIBUS;
KOTTENKAMP, Medic. Dr.
DOBEL, Medic. Dr.
ROSE, Medic. Dr.

V I R O

ILLUSTRISSIMO ATQUE CELEBERRIMO

FRID. HUFELAND

MED. ET CHIR. DOCTORI, MED. PROFESS.
PUBL. ORD. ETC. EEC.

V I R O

V I R O

ILLUSTRISSIMO ATQUE CEELEBRISSIMO

ILLUSTRISSIMO, DNE. ILLUSTRISSIMO

FRID. H. VAND. NEC NON

FRID. H. VAND. NEC NON

V I R O

SPECTATISSIMO, DILECTISSIMO

A. SÜMMERMANN

H A S C E

S T U D I O R U M P R I M I T I A S

S U M M A P I E T A T E A T Q U E R E V E R E N T I A

O F F E R T

AUCTOR.

Medicinae historia inde a primo initio usque ad aevum nostrum continuata, ad illius quidem sententiae veritatem, humani corporis phaenomena morbosa eandem speciem non semper variis temporibus exhibuisse, conducimur agnoscendam; sed ex omnium auctorum expositionibus morborumque descriptionibus aut sporadicam aut endemicam naturam aut epidemicam conditionem tanquam praecipuam et generalem in dolem prae se tulisse apparet, quam stationariae constitutionis morbosae nomine appellamus. In morborum igitur curandorum methodos haud parum valet commutandas, unde systema antiquius ac bene comprobatum recentiori et omnino contrario curandi modo saepius loco cedere debebat. Singulas enim epidemias longiori temporis spatio multae clade homines afficere conspiciamus, quibus deinde evanescentibus et oblivioni jam dudum traditis, in lucem rursus prodire miramur; quae quidem,

cum interdum pro recentibus habeamus, medicorum tamen antiquissimorum libros evolventibus, jam descriptae inveniuntur.

Jam Hippokrati 1) morbus ille innotuerat, quod ex verbis ejus, quae laudavimus, conspicias. In dysenteria, inquit, intestinum corroditur et exulcerat, morbum deinde ipsum, nisi integris adhuc viribus auxilium afferatur, aut si profluvium ventris locum jam occupaverit, lethalem esse judicat. Celsus 2) de ventris torminibus, quibus intestina in suppurationem transeant, mentionem facit, quo in malo amovendo sal culinare lythargyrumque secundo eventu adhibitum esse testatur.

Cum plura ulcerum genera, quae ex majori aut minori periculi discrimine distinguantur, Aretaeus 3) discreverit, rem melius perspexisse apparet. Illa igitur cum hoc modo dividat, sequentes ulcerum species efficiuntur:

A. Solae excoriationes, quae quamquam ipsae non magnum detrimentum afferant, in intestini tamen membranas altius penetrare possunt.

1) Τοῦ μεγάλου Ἱπποκράτους ἅπαντα.

Edit. Kühn. Lips. 1826. tom. II. pag. 401.

2) Aurel. Corn. Celsi de re medica, Libr. VII.

3) De causis et signis diuturnorum morborum, Edit. Kühn. Lips. 1828. p. 153 sq.

B. Ulcera corrodentia, et in glandulis sedem occupantia, torpidae indolis, gangraenam secum trahentia, quae lethalia vocat.

C. Ulcera prominentia, inaequalia, callosa, lignique nodis similia, quae sanatu difficilia esse putat. Quae cum genera Aretaeus optime depingat, feбри comitanti nervosam indolem tribuit.

Excrementa hoc in morbo ejecta Galenus 1) egregie describit; inde ex illis quae disputat, hicce morbus temporibus ejus maxime vulgaris fuisse videtur; sed quum ulcerum differentiae minus rationem habeat, in sede illorum aut in interioribus aut exterioribus membranis posita, magis commoratur exponenda.

Caelius Aurelianus 2) illum morbum, ab omnibus aliis scriptoribus dysenteriae nomine designatum intestinorum appellat rheumatismum cum ulceratione conjunctum. Excrementorum conditionem aeque ac mutationes pathologicas bene describit, quae ab ulcerum sedibus proficiscuntur.

1) De symptomatum causis. Edit. Kühn. Lips. 1824. Tom. VII p. 247.

2) Caelii Aureliani Siccensis medici vetusti et in tractanda morborum curatione diligentissimi, secta methodici, de morbis acutis et chronicis libri VIII. Edit. Lugd. Batavorum 1569. p. 474.

Eodem modo Alexander Trallianus 1) intestini crassi ac tenuis ulcerationes describit.

Aëtius 2) quae Galenus, Caelius Aurelianus, Alexander Trallianus, quoad sedem ulcerum signa tanquam praecipua exhibuerant, magna diligentia et accuratissime recitat, atque agendi illorum modum secutus, et prognosin illis accomodatam inde auguratur. De febre etiam comitante nervosa optime disputat; quoad summam rei tota descriptio in meliores referenda est.

Inde ab hoc tempore morbus noster sensim sensimque ex oculis evanescit, auctoresque, quamquam Graecorum dysenteriam sive Celsi tormina describere continuarent, nihil recentioris tamen adjecerunt. De ulcerum formatione seriori tempore nullo etiam omnino modo cogitabant. Neque tamen quae Fontanus 3) de filio refert, omittenda existimamus, qui quidem novem annorum aetatem assecutus, dysenteria affectus, mortem obiit. In cadaveris sectione ducentis plures exulcerati conspiciebantur tumores. Temporibus illis, ubi methodus antiphlogistica summas partes obtinebat,

1) De arte medica Libri XII. Lausannae 1772. pag. 350.

2) De cognoscendis et curandis morbis im 34sten Kapitel, der 9ten Abhandlung. Basileae 1535.

3) Jacobi Fontani ect. Opera. Editio Coloniae Allobrogum 1612. pag. 180.

virum doctissimum Stoll 1) iisdem fere atque Aretaeum verbis dysenteriam depingere conspicimus. Ut exemplum afferamus, humoris ejecti copiam, aquae speciem carne proluta infectae, prae se ferre ab utroque auctore scribitur; non tamen scriptori nostro Aretaei librum innotuisse inde apparet, quod ulcera etiam hoc in morbo existere, omnino ab eo nesciebatur.

Quae postquam de morbi historia disseruerimus, ad descriptionem ipsam nunc transeamus exponendam. Cadaveris sectione antiquis nostrisque temporibus instituta, ventriculi, intestinorumque tractus membranas mucosas inflammari posse, extra omne dubium est positum, ulcerumque sedem intestinalium ibidem positam esse apparet. Quodsi accuratius inspicere velis, libros egregios evolvas Bischoff 2), John. Aberkromby 3), Bichat 4), Billard 5),

4) Stoll, Heilungsmethode etc. übersetzt v. Fabri 3ter Theil. 2ter Bd. Breslau 1790.

2) Grundzüge der praktischen Heilkunde. Prag 1823. 2tr Th. pag. 99.

3) Beiträge zur Pathologie des Magens, Bauchspeicheldrüse, Milz etc. 1ste Abth. p, 523—560.

3) Allgemeine Anatomie angewandt auf Physiologie u. Arzneiwissenschaft, 1822—23.

4) Die Schleimhaut des Magens und Darmkanals sowohl im gesunden als krankhaften Zustande etc. Uebers. von Urban. Leipzig 1823.

5) Die Entzündung u. Verschwärung der Schleimhaut des Verdauungskanal. Berlin 1830.

Broussais 1) cujus in verba qui jurent immensus est numerus; Lesserii deinde, singulari doctrina librum compositum, conferas, ubi et ipsius et aliorum observationes eximie collectas et dispositas invenies; multa etiam apud Cel. Andral 2) reperies.

Membrana mucosa, si in morbum incidat, maiorum haud exiguo numero expositam esse conspicimus. Variis modis rubro colore inficitur, cujus causa et origo non secus ex inflammatione atque inde aliis ex malis, passiva e. g. congestione, ecchymosi, petechiis et quae sunt cetera, repetendae sunt Membranae intestinorum mucosae inflammationem ventriculi intestinorumque, dilatatio iis in locis quos inflammatio infectat, comitatur, sanguinis etiam exsudatio, ruptorumque vasorum fluxus una conjunctus est. Membranae deinde tela mucosae mutationem ipsa subire potest, ita ut substantia aut perdatur aut integra servetur. Ad illas quidem telae mutationes, ubi substantia non deperditur, eos quidem casus, quibus aut crassior aut mollior efficiatur, aut si pravus et vitiosus formandi nisus existat, referendas esse putamus, quae tamen omnia in alteram etiam mutationem, ubi substantia deperditur, transire possunt; quo quidem intestinorum gangraena exulcerationesque pertinent.

1) Grundriss der pathologischen Anatomie, übersetzt von Becker. Leipzig 1829.

Quae hic praecipue nobis exponendae sunt ex-ulcerationes, status membranae mucosae plerumque inflammatorius chronicus antecedit, eandem tamen destructionem acutae etiam inflammationes exhibere possunt; qua de re in singulorum ulcerum descriptione disseremus.

A. Stadium inflammatorium.

I. De inflammatione tunicae mucosae ventriculi tractusque intestinorum acuta.

A. De inflammatione acuta ventriculi

Quod ad acutam ventriculi inflammationem pertinet, omnino pura rarissime occurrit, cum enim tunica muscularis una cum organis circum jacentibus morbo infestentur, exituque deinde acutissimo finiatur, paucis tantum horis praeterlapsis morte necat; qua de causa cum ad rem a nobis tractandam non pertineat, silentio omittendam esse existimamus.

B. De acuta tractus intestinorum inflammatione.

Quae ad ventriculum pertinebant, ad intestinorum etiam tractum referenda sunt.

Membranam mucosam acutis inflammationibus affectam esse invenimus; quum vero non sola existat, ne quid omnino omittamus, hic retulimus. Multo majoris quidem momenti ventriculi intestinorumque tractus chronica est inflammatio, cujus explicandae atque tractandae munera suscipiamus.

II. De inflammatione ventriculi tractusque intestinorum chronica.

Quum Hoffmann, de Haen, Peter Frank hujus inflammationis lente fallaciterque decurrentis mor-teque exeuntis, mentionem jam fecerint, quamquam aphthosa deinde in collo ulcera morbi hujus reflexum exstare Cullen jam commemoraverit; etiamsi Marcus denique jam ante Broussaei tempora hanc de membranae mucosae abdominalis inflammatione doctrinam, quam febris nervosa comitetur, promulgaverit: nostratis tamen falsas sententias magis quam veras rejecerimus, adoptavimus. Marcum quidem, in unoquoque typho inflammationem cerebri adesse, theoriam proposuisse, nemini nescitur, neque dimidia tamen parti eorum, quorum vituperationem hac de causa subiit, doctrinam ejus de ventriculi intestinorumque tractus inflammatione, quam nervosam febrem comitari docuerat, innotuit; scholae igitur, quae quum inflammationem ubique conspiceret suspicaretur, huic uni tantum principio systema accomodabat, ut nostratis laborem sibi conciliaret, contigit. Descrip-

ationes praetera Broussais, Larroque 1), Harless 2), Krukenberg 3), James Anesley 4) exhibent.

A. De chronica ventriculi inflammatione.

Morbi initio casus dyspeptici, linguae acritudo, ructus inveniuntur, pressio deinde ac crebris pulsatio autensus molestissimus in regione epigastrica sentitur; vertebrarum dolores, ventriculi ardor, qui spirituosus multum augetur, interdum existunt. Appetitui deficienti nausea adjungitur, quum fauces linguaeque margines rubro colore inficiantur, linguaeque superficies albido flavescente praedita sit obtegumento. Cibis receptus aegro molestias cum affert, vomitu, qui morbo magis procedente incrementum solet ejicitur; quin vomitus tamen incipiat, nutrimento blando impediri potest. Alvi dejectio tarde efficitur, excrementa aut albida aut fusca aut nigra emittuntur. —

B. De tractus intestinorum membranae mucosae chronica inflammatione.

Aeger est languidus, animo dejectus, anxius, facile irritandus, fragilis et imbecillus, lumine de-

1) J. B. de Larroque, observations cliniques opposées à l'examen de la doctrine medicale, Paris 1818.

2) Neues practisches System der speciellen Nosologie. Coblenz 1824.

Salzb. med. chir. Zeitung 1825 Bd. I. pag. 26.

3) Jahrbücher der ambulatorischen Klinik zu Halle. Halle, 1824 Bd. 2. pag. 253 — 324.

4) Ueber Entzündung und organische Verletzung des Magens etc. Samml. auserlesener Abhdl. Bd. 35 p. 551 sq.

bili oculi concidunt, et cum cutis sicca sit, temperies augetur. Dum capitis dolores, aut interdum etiam gravedo solummodo aegrum excrucient, vasorum febris haud multum afficitur. Papillis eminentibus lingua rubro colore inficitur; cibi male digeruntur, unde vomituritio aut vomitus ipse efficitur; quod si duodenum morbo corripitur, dolor in abdomine, interdum etiam dysuria sequitur. Si inflammatio regionem intestini recti infestat, num glandulae an membrana ipsa sit affecta, ex symptomatum indicatione hucusque non omnino cognitum est, qua de causa rem mittere liceat. Lesser, diagnosticis signis differentiam ut exhiberet, studuit, qua de causa librum ejus inspicias.

B. Stadium exulceratum.

Inflammatio modo descripta vario modo finiri potest, quorum plerosque jam supra exhibuimus. Num vero inflammatio tuberculorum, melanoseos, encephaloidis et scirrhusi formationis causa esse possit, non veresimile esse videtur, quum ex observationibus, temporibus nostris in Anglia et Germania hoc de morbo institutis, de re illa jure dubitare liceat. An vero gasteromalacia ex inflam-

matione prodeat, haud facile demonstrari potest. Siquidem observationibus ab Andral, Dupuitren, Lallemand, Hutin, Louis, Billard, Feiler, Richter, Hecker, Henke, Mass, Pohl, Harless, Krukenberg, Joerg, Wendt, Nagel etc., institutis fides tribuenda est, hoc ipso modo certe efficitur; morborum tamen descriptionibus, quas viri illi addiderunt, evolutis, quin vera inflammatio semper adfuerit, non omne dubium amovetur, quum conjecturis tantum viros laudatos interdum usos esse appareat.

Status tamen inflammatorius ulceribus fundamentum praebere videtur, de quo cum rarissime certetur; ut ulcerum, quae tractum intestinorum infestant, signa exponamus, munus nobis relictum est.

I. De membranae ventriculi mucosae exulceratione.

Inflammatione in exulcerationem transeunte secessus fluidi, mucosi et oleagini, aqua etiam lymphae plasticae concrementis immixta emittuntur; urina deinde saepius serosa mucosa sedimenta dejicit. Dum saepius vomitus existit, vires gradatim evanescent, animusque tristitia et moerore deprimitur, facies multae aegritudinis speciem prae se ferens, cadaveroso pallore obducitur, dum genae rubore circumscripto inficiuntur. Lingua tegumento obducta in media parte siccata fusco colore imbuitur.

febrilibus motionibus deinde prodeuntibus, pulsus tensus fit, duriusculus et frequens, quum cutis siccae temperies augeatur; viribus denique evanescentibus, mors sequitur.

Portal¹⁾ teste, qui morbo affecti sunt, pus etiam vomitu ejiciunt, vehemens modo cardialgia aegrum excruciat; calore et siti modo existente, collum mollestissima ariditate atque tussi, purulentis sputis conjuncta, afficitur. Alvi exonerationes secundum ejusdem auctoritatem, pus continent.

Baillie²⁾ deinde male olentem praveque sapientem ructum omnibus in casibus animadvertat. —

Ulcera modo ciccatisationem ineunt, modo etiam perforatio sequitur.

II. De intestinorum tractus exulceratione.

Quodsi diarrhoea jam exstiterit majori vehementia procedit; si vero aegrotum nondum affecerit, eo fortius postea eum aggreditur, cujus excrementa magnam colorum varietatem exhibent quum modo rubicundam, modo pallidam speciem prae se ferant, aquae deinde proluta carne infectae similia, argillacea, limosa aquosa, floc-

1) Cours d'Anatomie etc. Tom. I. p. 199.

2) A. Abhandlungen Bd. 20, p. 32.

cis et filis albidis, quae villosae tunicae fragmenta componunt, immixta, ejiciuntur. Imo etiam casus existunt, ubi, quamquam totum colon ejiceretur, nihilo minus tamen vires naturae medicatrices tantum valerent, ut apta conjunctione perfecta, tractus intestinorum cohaesio non interromperetur, aegrotusque in valetudinem restitui posset. Interdum etiam sanguis per anum dejicitur, si vero alvus viridi colore imbuta, Lesser autore, jecur etiam affectum esse, significat. Vomitus conditio de sede morbi proficiscitur, qui, si in superiore intestinorum tractus parte locum obtinet, eo frequentior occurrit; quo magis tamen in inferiorem partem descendit, eo rarius existit, ut denique evanescat. Tormina ventris vehementissima, quae pressione semper sunt animadvertenda, etiamsi aeger sponte non conqueratur, morbum comitantur; siti deinde insatiabili aegroti distrahuntur, quum linguae denique conditio ex morbi sede dependeat. Si ulcera in superiore intestinorum tractus parte inveniuntur, eo majori integumento obducta est, sed per totum etiam morbi decursum pura remanere potest, quamquam sub vitae finem fusco plerumque colore obtegatur. —

Nervosam indolem febris aperte exhibens circa vespertinum tempus exacerbatur; cutis etiam non semper calida, sed frigida saepius atque pallida. Aegrotos deinde inquietos deliria infestant, quae

ita interdum increscunt, ut, etiamsi vires magnopere exhaustae sint, e lecto tamen esurgere periculum faciant. Morbus deinde magna macie et morte finitur.

Morbum igitur brevibus descripsimus, qui variis nominibus a medicis appellatus est. Ille itin pustulosam W. Hufeland nuncupat, alii vero typhum abdominalem, synochum abdominalem, et respectu symptomatum fluxum hepaticum, coeliacum nominaverunt. Quum igitur totius morbi pathologicam descriptionem absolverimus, singulorum etiam ulcerum speciem paucis exponere nobis liceat. —

Et in glandulis et in ipsa membrana mucosa exulcerationes invenimus. Mucosarum glandularum exulcerationes aut ex acuta aut chronica illarum oriuntur inflammatione. Ab acuta inflammatione triplex ulcerationis gradus exhibitur:

- 1) Si e tumoris nuper evoluti crassitudine matrix puris egrediatur, locum sanguineum relinquit, ulcerum margines leviter lacerati, inaequalis superficiei et ruberrimi sunt coloris. Fundus deinde coagulo sanguineo interdum repletur.
- 2) Temporis spatio post matricis egressum praeterlapso, ulceris margines suppurationem ineunt, atque relaxantur, ulcere vero ipso materies saniosa continetur, unde squalida et immunda species efficitur. In ulceris etiam forma antecedentis conditionis vestigia ani-

advertuntur; tumor enim, unde ulcus originem repeterat, suppuratione in conum commutatus est, et in basi margine circumducitur.

(3) Tumorem, unde ulcus exstiterit, vix discernere possis, ulcus aut minore aut majore amplitudine extenditur, et membranae mucosae, cujus fibrae, si ulceris fundus eluatur, cognoscendae sunt, limitibus circumscribitur. Marginibus crassis atque rubris, verticali directione tanquam abscissis, membrana mucosa, quae circumjacet, si ulcera majorem numerum exhibent, intumescit. Ulcera deinde extensa inter sese conjunguntur atque latam desorganicamque superficiem efficiunt.

Intestini recti deinde glandularum ulcera ex chronica inflammatione, in hominibus praecipue, morbo chronico affectis, originem repetere observamus. Pthisici e. g. et maxime scrophulosi ulceribus illis imprimis infestantur. Quum in postrema morbi periodo demum procedant, silentio omittamus.

Ulcerata quae non in glandulis, sed in ipsa membrana sedem occupant, tuberculorum formatione hac in membrana saepius efficiuntur, aut ulcera circumscriptae sunt mollitiei, quo J. Clocquet animum praecipue dirigit. In intestini tenuis fine et in caeco praecipue inveniuntur. Margines ferro tamquam circumscissae (avec un emporte-pièce) parvula nigridaque linea saepius sunt descriptae. Ul-

ceris fundus peritoneo, quod intestinum implicat, constituitur. Qua de re ita disputat, ut ulcerationem nigri coloris incipere credat linea, quae verticali directione in membranam mucosam incidens, extrema nonnisi parte appareat, quae quidem in intestini cavo inveniatur. Membranae deinde mucosae structura in tota lineae peripheria corrumpitur, et in fuscam materiam, pultique similem, convertitur. Ulcerationes initio separantur, si crusta deinde, qua obteguntur, solvitur, rotundae, fuscae, planisque et verticali directione tanquam abscissis marginibus, instructae observantur. Margines, illae paulo post extensae intumescunt, vicinoque ulceri junguntur. Postquam in duodeno orta sint, ceterae etiam membranae morbo corripuntur. In ulceratione rubor regionis circumjacentis tumorque deficiunt. Ulceribus deinde procedentibus, peritonitis existere solet, qua coli flexurae ita concresecunt, ut excrementa intestinorum in abdominis cavum incidere nequeant. Ex inflammatione haud multum intensiva aut in vehementis inflammationis initio, ulcera oriuntur superficialia, quorum in Aretaeo mentionem jam invenimus. Ulcera illa excoriationes vocamus, si vero in latitudinem aut altitudinem magis extenduntur, nomine illo non amplius designantur. Excoriationes sunt parvulae, angustae, filiformes, aut

rhomboideae, fundus plerumque sanguinis coagulo repletus est.

Billard 1) de intestini recti ulceribus sequentia observat. Quodsi ulcera ad certum evolutionis gradum procederint, qualicunque origine proficiantur, eandem speciem omnia prae se ferunt, et symptomatibus unicuique communibus, singula distinguere difficile efficitur. Margines plerumque verticali directione abscissae saniosum fundum atque ambitum intumescentem exhibent, ut brevibus dicamus ulceribus syphiliticis magna ex parte sunt similia. Aut ad unam aut ad alteram ulcerationum modo descriptarum speciem pertinere intelligas, si aut ipsa aut eorum ambitus primae mutationis vestigia ostendant. Ulcera e. g. quae glandularum mucosarum eruptione inflammatoria effecta sunt, glandulis nuperrime demum exulceratis circumdantur; quae vero e membranae mucosae parte molita exstiterunt, nigricante linea circumducuntur, ferroque tanquam circumcisae esse videntur; quae deinde excoriationibus oriuntur, magis aut minus in manifesto positis excoriationibus cinguntur; quae denique ex tuberculorum emollitione profecta sunt, marginibus et ambitu materiam tuberculosam continent. Glandularum ulcerationes

1) l. c. pag. 337.

mucosarum regionem ileo-coecam praecipue obtinent, atque plexu Peyeriano intumescente, imo etiam ulcerato, circumdantur. Ulcera membranae mucosae emollitioni conjuncta una cum aut partiali aut universali peritonitide occurrunt, unde intestina concreverunt, excoriationes vero ulceratae muco sanguineo replentur.

V i t a.

Ego Ernestus Leopoldus Arweiler, evangelicae confessioni addictus, natus sum anno MDCCCVII Idibus mensis Aprilis, Susati Guestphalorum, patre Friderico Arweiler, quem jam dudum defunctum quam maxime lugeo, matre Angelina, e gente Walther. Primis literarum rudimentis, quibus juvenilis aetas informari solet, imbutus, Gymnasium, quod Susati directore Patze floret, per decem annos frequentavi, et examine solenni in ipsa schola superato, in Academiam Ruperto - Carolinam, quae Heidelbergae floret, me contuli. A rectore magnifico Naegelé civium academicorum numero adscriptus, per sex semestria celeberrimorum virorum praelectionibus interfui Cel. Ehrhardt de logice atque metaphysice; Cel. Guil. Arnold de encyclopaedia et methodologia medica. Cel. Bischoff de botanice tam generali quam speciali conjuncta cum demonstrationibus et excursionibus, de anatomia et physiologia plantarum atque de botanice pharmaceutica. Cel. Leuckart de Zoologia, de anatomia comparata; Cel. a Leonhard de mineralogia atque theoria vulcanorum; Cel. Muncke de physice tam

theoretica quam experimentalis; Cel. Gmelin de Chemia tam theoretica quam experimentalis per tria semestria atque de chemia pharmaceutica cum exercitationibus practicis, de materia medica et arte formulas medicas concinnandi, et de toxicologia; Cel. Frid. Arnold de osteologia atque anatomia cerebri nervorum atque organorum sensuum. Cel. F. Tiedemann de anatomia tam generali quam speciali, de physiologia universa, et cum Cel. F. Arnold de secundorum cadaverum arte, disserentes audiui; Cel. Puchelt hygieinen, pathologiam et therapiam tam generalem quam specialem, Cel. Naegelé artem obstetriciam tam theoreticam quam practicam, Cel. Chelius chirurgiam me docuerunt, iidemque clinicas meas exercitationes moderaverunt. Auctumni tempore anni MDCCCXXIX in domum paternam reversus, ibique per semestre moratus sum. Paschali tempore hanc almam musarum sedem Berolinensem adii; et ab Ill. Hegel t. t. Rectore magnifico et Cel. Wagner t. t. ordinis medicorum Decano civibus academicis adscriptus sum. Per hoc tempus praelectionibus Cel. Wagner de medicina forensi, Cel. Jüngken de universa chirurgia, clinico medico Cel. Bartels, chirurgico, Cel. Rust et ophthalmiatrico, Cel. Jüngken interfui.

Omnibus his Viris Illustrissimis atque Celeberrimis pro summis in me meritis gratias ego quam

maximas, pia grataque mente eos venerari non
desinam.

Iam vero tentaminibus, et philosophico et me-
dico, nec non examine rigoroso coram gratioso
medicorum ordine rite absolutis, spero, fore, ut
dissertatione thesibusque, defensis, summi in me-
dicina et chirurgia honores in me conferantur. —

Theses defendendae.

I.

Animus in somno nunquam non agens est.

II.

Partus praematurus artificialis matri minus quam infanti damnum affert.

III.


Hepar organon respirationis nominari potest.

IV.

Signum certum infanticidii peracti non existit.

V.

Synchondrotomia operationem caesaream nequaquam supervacaneam reddere potest.





DICTATED

SOME TIGHT
GUTTERS